

nati estis, et concupiscentias patris vestri facere vultis. Ipse enim homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit, quia veritas non est in illo. Et per Esaiam prophetam Deus clamat indignas: Filios generavi, et exaltavi, ipsi autem me spreverunt. Agnovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui; Israël autem me non cognovit, et populus meus me non intellexit. Vae gens peccatrix, populus plenus peccatis, semen nequam, filii scelesti. Dereliquistis Dominum, et in indignationem misistis illum sanctum Israël. In quorum exprobrationem, Christiani, quando oramus, Pater noster, dicimus; quia noster esse coepit, et Judaeorum, qui eum reliquerunt, esse desiit. Nec peccator populus potest esse filius: sed quibus remissa peccatorum datur, eis filiorum nomen adscribitur, eis et aeternitas repromittitur, Domino ipso dicente: Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in aeternum, filius autem manet in aeternum. Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus et bonitatis ubertas; qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum patrem vocemus, et ut est Christus Dei filius, sic et nos Dei filios nuncupemus? Quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare. Meminisse itaque, fratres dilectissimi, et scire debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quasi Filii Dei agere debemus, ut quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat et ille de nobis. Conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare. Nec sit degener actus noster à spiritu: ut qui coelestes et spirituales esse coepimus, non nisi spiritalia et coelestia cogitemus et agamus, quia et ipse Dominus Deus dixit: Eos, qui clarificant me, clarificabo: et qui me spernit, spernetur. Beatus quoque Apostolus in epistola sua posuit: Non estis vestri, empti enim estis pretio magno. Clarificate